

PSYCHOLOGIA.

VITA. *In actu secundo*, id est si consideretur actio vitalis, vita est activitas qua ens seipsum movet, seu mutat perficitque seipsum. *In actu primo*, si consideretur nempe principium actionis, vita est anima ipsa, et definitur: substantia, cui convenit secundum suam naturam movere seipsam, vel se agere quocumque modo ad operationem. Triplex est: *vita vegetativa, vita sensitiva, vita spiritalis.*

Vita vegetativa. Vita illorum viventium, quae formam seu principium quo se movent, et finem in quem agendo tendunt, non habent ex seipsis, sed tantum a causa extrinseca, id est a natura. Principium vegetativum definiri potest: illud ex quo substantia quaedam sese nutrit, auget et propagat.

Vita sensitiva. Vita illorum viventium, quae habent ex seipsis principium immediatum et determinativum agendi, cognitionem nempe per sensum habitam, finem vero actionum a natura tantum inditam.

Vita spiritalis. Vita eorum, qui et principium et finem operationum ex seipsis habent. Ita angelus vel homo habet in se principium determinativum operationum, cognitiones scilicet quas acquirit, et earundem sibi finem praestituit.

FACULTAS ANIMAE. Principium immediatum operationis animae. Operationes autem animae sunt cognoscere et appetere, sive per sensum sive solo intellectu. Inde facultates cognoscitivae, sensitivae et intellectivae, et facultates appetitivae, sensitivae et intellectivae.

Simplicitas animae. Animam simplicem dicimus, tum quoad essentiam, quia ex pluribus